

B. N. II, 150.
h. 39, 8.

(X 1880 782)



Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE
POTESTATE
STATUUM IMPERII
CIRCA DIGNITATES,

Quam
EX CONSENSU & AUTORITATE
INCLUTI ICTORUM ORDINIS,
IN ALMA VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

ICTO CELEBERRIMO,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ
ORDINARIO, & PROFESSORE PRIMARIO,

Antea
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEMIA
HEIDELBERG. DECRETAL. PANDECT. & JURIS GENT.
PROF. P. ORDIN. MERITISSIMO,

Domino atq; Patrono suo summa cum observantia colendo,
PRO LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
rite capessendi,

Die XXIX. Augusti An. M DC XCVIII.

H. L. Q. C.

Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittit

DANIEL LEONHARD. Müller/
Lipsiensis.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

VI. 3.



9

POTTER
GARDNER
GARDNER



STAMMOS
BAHNS
LANGE



CAPUT I.

De origine dignitatis seu nobilitatis, ejusque à plebejo vel civico ordine differentia.

CONSPECTUS.

Ingressus. §. 1.

Dignitas & meritū idem. §. 2.

Consistit in virtute; hac in sola perfectione anima. §. 3. 4.

Hinc naturā nobilitatis causa unica est, præclara virtus. §. 5. 6.

Ejus aestimatio duplex. 7.

Infamia facti unde? 8.

Omnes in Rep. dignitates declarationem publicam requirunt. 9.

Per eam definitur valor civium. Quid laus, honos? 10.

Alia dignitas, quæ homini inest; alia, quæ ei à rep. tribuitur. 11.

Est vel privata. 12.

Vel publica. 13.

Hac illà longè eminentior. 14.

Summa dignitas est administratio Reip. 15.

Proxima ab hac nobilitas est eorum qui imperanti in tu-

enda Repub. & justitia adstant. 16.

Reliqua genera dignitatum. 17.

Eas confert Summus imperans 18.

An dignissimis ea tribuenda? 19.

Moribus gentium dignitates quædam (1.) hereditaria facta. 20.

(2.) his concessa qui non gerunt officia in Rep. 21.

Quinam nobiles, quinam plebeji. 22.

Cives Reip. Rom. à Romulo distincti in Patres & plebejos. 23. 24.

Julianus magis nobilis habitus, quia fctus quàm quia magistratus curulis. 25.

Omnes Magistratus & Judices Populi Romani nobiles fuerunt. 26.

Equestris ordinis quinam. 27.

Plebs initio ab honoribus exclusa

clusa, postea vero eorundem Tituli apud Romanos sero in u-
capax facta. 28. su esse cœperunt. 34.

Qui novi dicti, qui nobiles. 29. Demum IV. classes eorundem
Magistratus fuere vel Populi constituti. 35.

Romani, vel plebis. 30. Nobilissimi titulus cui tribu-
tus; 36.

Isti nobiles dicti. 31.

It. Curules, & unde. 32. Egregiatus huc non perti-
net. 37.

Gellii derivatio rejicitur. 33.

§. I.



Equè quicquam magis è re publica, neque in vita civili magis necessarium esse, neque ad Deum propius quicquam accedere certum est, quam bonum à malo, actiones rectas à pravis secerni, & præclare gesta virtutesque suo merito & æstimari, & ornari. Quemadmodum è contrario nihil æq; Reip. funestum exitiosumque est, nihilque Deo divinæque justitiæ magis adversum, quam bonos ac malos, sapientes & imperitos, fortes & ignavos pari, nedum illos præ his meliori jure meritoque censeri; quod verè est vitia virtutibus & tartarum cœlo præferre.

§. 2. Hoc virtutum & egregiè actorum meritum dicitur dignitas; idem enim est mereri ac dignum esse; uti laude, honoribus, præmiis &c. dignum esse nihil aliud est quam ea mereri. Dignitas itaque naturaliter non nisi in merito consistit, estque ipsa meriti ratio, & hæc vi verbi idem ac honos, claritas, nobilitas, generositas, &c. Tiraqu. *de Nobilit. cap. 2.*

§. 3. Equidem præter virtutes & præclara facinora etiam aliæ res esse videntur quibus meritum dignitasque insit: uti sunt corporis robur, agilitas, pernicitas,

nicitas, forma &c. Verum istæ non sunt animæ perfectiones, sed corporis; quibus rebus bruta sæpe nos immentium superant atque antecellunt; & sunt ea bona caduca, non, ut animæ, æterna. Salust. *de Bell. Jugurt. in præf. c. 2.* Verum igitur meritum seu dignitas, quæ hominibus propria est, non potest inesse corporis aut ullis aliis quam animæ perfectionibus. Et, si homines iis ad bene agendum rectè utuntur, tum verò ad perfectiones animæ, à qua reguntur quasi & ad usus illos præclaros adhibentur, meritò referendæ sunt.

§. 4. Atq; hoc, quòd natura dignitas sive nobilitas nulla sit nisi ex virtute & benemeritis, prolixè docet, & consensu tum Græcorum, Romanorum, aliarumq; gentium, tum Ictorum probat Tiraq. *d. tract. cap. 5. per tot.* Idemque præclare tuetur Tullus Rex Romanorum in oratione ad Fufetium Ducem Albanum, apud Dion. Halic. *Antiq. Rom. lib. 3. c. 15.* Nec non Marius magnus ille Romanorum Dux & septies Consul, apud Salust. *de Bell. Jugurth. cap. 85.* Item Horat. *lib. 1. Serm. Sat. 6.* & copiosè Juvenalis, *Sat. 8. per tot.* cujus summam & argumentum hoc versu refert:

Nobilitas sola est atq; unica virtus.

Cui geminum est verisimum illud Stoicorum assertum, τὰς αὐτὰς εὐγενεῖς τὰς καὶ ἐναπέτασ, *eosdem nobiles qui & probi essent.* Plura de virtutis nobilitate vid. apud Cœl. Rhodigin. *Lect. antiq. lib. 20. cap. 27. seq.* Arnif. *Doctrin. Polit. c. 12.*

§. 5. Naturaliter igitur nulla alia dignitatum nobilitatisque causa & ratio est, quàm præclare agere, & ut verbo rem finiam, virtutis exercitium. Quæ res quid valeat videamus, & nomina, quibus varie uti



solent, ponderemus: Uti enim res precio, quasi mensura quadam, æstimantur, & concurrunt diversisque nominibus significantur res, ejus bonitas, taxatio, valor, precium: ita & generosæ hominum actiones merito suo valent, varieg; inde vocantur.

§. 6. Res ipsa, de cujus valore quæritur, est actus virtutis, seu quælibet generosa & præclara actio; & homo, cui studium atq; facultas rem bene gerendi inest. Hæc qualitas in homine, cui quasi insita est, *generositatis*, similibusve *Præstantia* nominibus venit. *Juvenalis Sat. 8.*

Quis generosa putet nisi fortia.

& quatenus publice jam talis audit & habetur, fama, *l. 8. C. Ex quibus caus. inf.* claritudo, nobilitas, celebritas dicitur. *Salust. d. cap. 2. in fin. Varia sunt artes animi, quibus summa claritudo paratur. Et nobilitas quasi notoscibilitas, uti ignotum & obscurum ignobile dicitur. Tiraq. de Nobil. cap. 2. n. 3. & seqq.*

§. 7. Hujus præstantiæ æstimatio duplex est: alia, quanti in se fit ac valeat: alia, quanti habeatur ab hominibus in Rep. Quod ultimum inprimis hîc spectatur, quia à Republ. ejusque judicio meritis ea tribuuntur quæ ipsis debentur; unde *æstimatio* seu *existimatio* dicitur: *l. pen. § 1. & seqq. ff. de extraord. cogn. l. 8. l. 14. l. 17. C. ex quibus caus. inf. irr.* Item *opinio. l. 6. §. 1. C. de postul. l. 3. C. de Injur.* Quia in Rep. non alia cujusque civis præstantiæ ratio haberi potest, quam quanti homines in Rep. eam *existimant* ac *opinantur*; cum à Reip. opinione ac judicio effectus pendeat.

§. 8. Quo sensu infamiam facti *opinionem hominum* metitur *Jctus*, in *l. 2. princ. ff. de Obs. par. & patr.* Ubi tamen nec quorumlibet hominum, sed cordatorum; nec

nec horum quodlibet iudicium, sed sanum intelligitur: uti arbitrium boni viri dicitur, non quod vir, etsi bonus, arbitratur, sed quod arbitrari eum decet; *l. 41. §. 4. in fin. ff. de Fideic. lib.* adeoque quod, ut scholæ loquuntur, in abstracto iustum honestumque est. *l. 30. ff. princ. ff. de oper. libert.* More Stoicorum, qui, cum de sapientia, iustitia &c. agunt, in concreto hominem sapientem, iustum &c. repræsentant: in pluribus autem Icti Stoicæ disciplinæ, ceu moralibus præ cæteris optimè accommodatæ, morem imitari solent. Neque voces illæ, existimatio, opinio &c. tantum activè pro hominum iudicio, sed & vulgò passivè pro eorum merito accipiuntur, *d. l. 3. C. de injur. d. l. 6. §. 1. C. de Postul. & simil.*

§. 9. Dignitas itaque & nobilitas naturaliter aptitudinem præclare agendi & merita egregia sequitur; at in civitatibus aptitudo ista, nisi publica agnitione & declaratione nitatur, vix attenditur. Itaque nec summum nec aliud quodvis imperium humanum, (modo paternum excipias) ex sola aliis melius quam ipsi possunt, prospiciendi facultate, nec meritorum magnitudine aut imperandi dexteritate & peritiâ recte derivatur, nisi eorum, in quos imperium apprehenditur, vel alterius superioris concessio accesserit. Ita reliquæ omnes in Rep. dignitates declarationem publicam requirunt; privatorum quippe iudicium insufficientis est, & juri Principis derogat, in quem cum salutis publicæ cura etiam iudicium de remediis eam provehendi, deque personis & earum meritis, quantum ad communem felicitatem sufficiant, translatum est.

§. 10. Hac existimatione seu iudicio publico, (uti taxatione precium rei) definitur, quanti quis in rep. habeat-

habeatur, diciturque proprie *meritum* vel *dignitas*; scil. quid quisque mereatur ac quo dignus sit: *sup. §. 2.* nam & fundus decem dignus dicitur qui decem valet. *l. 19. l. 88. princ. ff. ad L. Falc.* Et si meritum deprædicetur verbis, *laus*; si ostendatur factis, *honor* dicitur.

§. 11. Uti autem alia æstimatio est, quæ ipsi rei inest, & re continetur; alia, quæ eam metitur, & in pecunia numerata consistit: *l. 88. ff. de V. S.* ita alia dignitas est, quæ Viro bono & actionibus honestis egregiisque inest; alia, quæ à Republ. ei tribuitur. Illa est quæ hanc promerita, hæc quæ illi debita est: illa virtutis est, hæc præmii vel ejus quod virtuti debetur: illa causa quasi est, hæc effectus. *Limn. Add. 1. ad lib. 6. c. 1. n. 19.*

§. 12. Hæc est vel privata, vel publica: Privata, quæ cuique homini honesto, etiam privato competit, ejusque effectus sunt, ut in civitate cum integram fidem habeat; *l. 2. l. 3. princ. ff. de testib.* tum & integram opinionem aptitudinis ad honores. *l. 8. C. de Decur. l. 3. C. de re milit.* Atque hic status hominis honesti & integræ famæ vocatur dignitas *in l. pen. §. 1 ff. de extraord. cogn.* ubi existimatio cujusque definitur; *dignitatis illæsa status.* Et mox: *circa statum dignitatis. d. l. pen. §. 2.* Sic & in *d. l. 3.* homines honesti nec infamiâ notati dicuntur *integre dignitatis homines*: quibus hæc dignitas ex vera obligatione debetur, nec auferri nisi delicto ipsorum potest: unde & additur *in d. §. 1.* illum *dignitatis statum* delicto nostro vel minui vel consumi: & inde jure constitutæ sunt actiones injuriarum pro defendendo hoc dignitatis nostræ statu, tuendaque existimatione integra.

§. 13. Publica dignitas est, quæ functionibus publicis cohæret, ac in administranda tuendaque rep. ac
justitia

justitia versatur. Nulla enim diviniore virtus est quam prodesse quam plurimis: eamque originem Deorum gentilium refert, & traditionem hanc vetustissimam Ægyptiorum fuisse tradit *Diodorus Sic. Biblioth. hist. lib. 1. cap. 13.* τὰς θεὸς ἀνθρώπων ὑπέρξαντας μὲν θνητοὺς, ἀλλ' ἢ συνέσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν τελεχότας τῆς ἀθανασίας. Deos (scil. in Deorum numerum relatos, nam de reliquis, quos cœlestes vocat, antea egerat) fuisse homines mortales, sed propter sapientiam & publica in homines beneficia immortalitate potitos esse. Quod ex eo refert *Euseb. lib. 3. prepar. Evang. cap. 3.* Graviter hoc exponit, atque eò ad tutandam Remp. excitat Cicero, in *Somn. Scip. cap. 3.* his verb: omnibus qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo definitum locum, ubi beati evò sempiterno fruuntur &c. & mox: certatim rectores & conservatores hinc profecti huc revertuntur.

§. 14. Publica ergo dignitas longè eminentior est privatâ: singulorum enim virtus, seu præclare merendi potestas, angustis finibus descripta est, & ad paucos utilitas ejus pertinet; at eorum, qui in luce Reip. positi sunt, in immensum patet, & patriæ, Reip. civium omnium, quin gentium res, jura ac pacem tuetur, in universum se communicat, & in populos integros meriti ubertate diffunditur. Eleganter Cic. *Orat. pro Q. Ligur. in fin.* Nihil, ait, fortuna majus habet, quam posse servare quam plurimos: nihil natura melius, quam velle.

§. 15. Hinc igitur summa in terris & ad Deum proximè accedens virtus est, regere imperio gentes & populos: quod est munus summæ in Rep. potestatis; quippe quod unicè in tuenda gentium justitia ac pace consistit, atque adeò, cum Deus ipse eadem vir-

B

rute

tute iisdemque rationibus universum temperet ac tueatur, hæc Reipubl. potestas in hac universi parte, terra scil. nostra, Dei vicaria Deoq; proxima dignitas erit.

§. 16. Unde constat, naturali ratione præcipuam nobilitatem iis officiis contineri, quæ in administranda tuendaque Rep. ac justitia veriantur: cum enim hæc sint ipsius summæ potestatis partes, quibus constituitur, & unde muneris, quod illa sustinet, fastigium est, ejusque veneratio sanctitasque proficiscitur; non potest non esse præcipua in rep. eorum officiorum dignitas atque nobilitas, quæ hujus muneris administrationem vel in Consilio Principis, vel Jurisdictionis potestate, vel alio togatæ aut armatæ militiæ genere participant. Propter hujus enim sanctissimi muneris participationem dicuntur illi ab Impp. pars corporis ipsius, *l. s. princ. C. ad L. Jul. Maj. Aur. Bull. tit. 24. §. 1.* parique severitate inviolabiles habentur. *dd. ll.*

§. 17. Cætera verò officia omnia vel his saltem sunt subsidiaria; vel ex præsentatione Principis splendorem trahunt, ut varia legatorum genera; vel speciali Principis beneficio ac arbitrio ad aliquem Nobilitatis gradum evehuntur; vel denique sunt magis onera civitatum, etsi cum honore conjuncta, quæ honestioribus e civium numero imponi solent: de quibus *tot. tit. ff. de Muner. & honor.*

§. 18. Summa igitur Reip. potestas non modò omnium dignitatum princeps, sed & omnium fons est: nam, cum ipsa per se omnia Reipubl. munia obire nequeat, sed administris opus habeat, in hos portio muneris in parte Reip. vel justitiæ tuenda derivatur, & cum munere dignitas; adeò ut tantum illi de dignitate

tate seu nobilitate participant quantum de officio.

§. 19. Atq; de his dignitatibus publicis hic agimus; quas summa potestas ita dispensat, ut pro cuiusq; meritis in dignissimos distribuat. Neq; tamen hæ publicæ dignitates debentur ex vera obligatione dignissimis, quia in arbitrio summæ potestatis est, per quos negotia publica curari velit; sed quasi ex virtute: quia equidem laudabilius, perfectius, & boni Principis est, optimis ea committere; atque ad id tenetur ille, non quidem vinculo juris, sed *κατ' ἀξίαν*. Grot. de J. B. & Pac. Lib. 1. cap. 1. §. 8. Quòd si igitur merenti dignitas tribuitur, concurrat illa cum naturali dignitate; sin, merè juris positivi ea est.

§. 20. Hæc hæctenus rationi ac naturæ & gentium juri conveniunt, quibus deinde moribus & statutis duo potissimum addita, adeoq; meri juris positivi sunt. (1.) Quòd dignitas quædam hæreditaria facta sit, cum naturaliter ea personam minimè excedat; meritum enim personæ cohæret, quod extra personam merentem esse & ad heredes transire nequit. Ita apud Romanos illi, qui Magistratum Curulem primi in familia gesere, *novi*, eorumque liberi *nobiles* dicti sunt; de quo *infr.* §. 26. & *seqq.* At si potestas, cui dignitas inest, territorio cohæreat, ut Principum, naturale est ut cum territorio ad heredes illa pertineat.

§. 21. (2.) Quod nobilitas quædam concedatur iis quoque, qui non sunt in tali, ut dictum, officio constituti. Quo tamen casu illa potius consistit in quibusdam beneficiis, immunitatibus & prærogativis, quæ competere dignitatibus solent, & arbitrio Principum aliis quoque concedi possunt; uti quando beneficio Principis Nobilitas alicui, etsi fortè non merenti, con-

ceditur. Ita Cic. *Lib. 3. ad famil. Epist. 13. Insignia ait virtutis multi sine virtute consequuntur.*

§. 22. Ex his constat, plebejos aut civici ordinis non esse, qui vel gerunt in republ. honores, seu talia officia, quæ in parte reipubl. vel justitiæ tuenda versantur, sed qui reguntur tantum ac defenduntur ab aliis, ut rei suæ privatæ superesse possint; nec jure positivo seu statuario illi, quibus beneficio Principis nobilitatis aut dignitatis insignia sunt concessa. Nobilitas ista civilis est eminentia quædam & prærogativa, summæ potestatis decreto, vel ob merita conspicua in rempub. vel per modum beneficii, certis personis earumque; aliquando progeniei tributa, eas à sorte plebis vulgari eximens, variisque beneficiis & privilegiis exornans. Unde facile deciditur quinam præferendi; num illi qui dignitatem ex merito, an qui dignitatis insignia ex beneficio quæservere. Tiraqv. *de Nobil. cap. 5. n. 16. & seqq.*

§. 23. Atque has rationes secutus est Romulus, qui, cum erecto asylo omnes in civitatem recepisset, constituta dein Republ. duos ordines civium distinxit; alterum eorum, qui *Magistratus gererent, sacra curarent, jus redderent, & secum publicæ urbanæque rei curam caperent*; alterum eorum, qui à Rep. vacui agro colendo, pecoribus opificiisque operam darent, prout refert Dionys. Halic. *Antiqv. Rom. lib. 2. c. 9.* Hi plebeji dicti sunt, illi *Patres*: Halic. *d. lib. 2. cap. 8.* horumque liberi *Patricii*. Plutarch. *in Romul. cap. 18. & 19.* Patris enim, apud veteres imprimis, magni honoris venerationisque nomen fuit, quod Diis quoque suis honoris causâ tribuerunt, ut *Liber Pater, Gradivus Pater, & ipse Jupiter, Divum hominumque Pater* dicti. Et Æneas, postquam disparuisse creditus est, inter divos relatus & Patris indigetis

getis nomine cultus fuit. Aurel. Vict. *de Orig. Gent. Rom.*

§. 24. Unde constat, in hac formatione Reip. non alios Plebeji ordinis fuisse, quàm quorum nullæ fuerunt in administranda republ. vel iustitia partes: & utrumq; civitatis ordinem ita distinctum fuisse, ut, qui nullos magistratus, dignitates ac honores gererent, soli dicerentur *plebeji*, seu, ut alias loquuntur, *civici ordinis*, reliqui omnes, qui in dignitate constituti erant, vel honoribus in republ. fungebantur, primi seu Senatorii ordinis essent, qui tum *nobiles* dicti sunt. Perez. *C. de Dignit. n. 30.*

§. 25. Ita Spartianus Julianum Jctum, Juliani Imperatoris proavum, triplici de causa nobilem dicit, quòd bis Consul, Præfectus Urbi & maximè quòd Jctus fuisset: *Didio*, ait, *Juliano* (Imperatori) *proavus fuit Salvius Julianus, bis Consul, Præfectus Urbi, & Jctus, quod magis eum nobilem fecit.* Spartian. *in Did. Julian. cap. 1.*

§. 26. Hinc omnes iudices, omnes magistratus Populi Romani (de quibus vid. §. 30.) Nobiles fuere non plebeji. De iudicibus id constat ex *L. 12. C. de Dignit.* ubi pœnæ loco statuitur, *ut Iudices, si se sceleribus maculassent, honore exuti inter plebejos habeantur.* Omnes igitur honores hos adepti plebejorum censui exempti, & contrà honoribus privati in plebejorum censum redacti fuere. De Magistratibus verò Lucanus *lib. 2. vers. 18. Omnis honos* (id est, Magistratus. §. 7. *f. de Jur. Nat.*) *latuit plebejo tectus amictu.* Adeo enim terruerant Romanam prodigia insolita, ut, iustitio factò, magistratus, vestitu (quo in primis distinguebantur à plebe) deposito, habitum plebejorum induerent. Ergo omnis Magistratus P. R. exemptus plebejorum censui vel civico ordini, & habitu ab eo distinctus fuit.

B 3

§. 27. De-

§. 27. Accesfit vero deinde tertius ordo equestris, in quem Censor potentiores & locupletiores e plebe allegere solebat, dato annulo aureo, & equo, qui publicè alebatur, idq; ferè in præmium virtutis bellicæ. Alex. ab Alex. *Gen. dier. lib. 2. c. 29.* Perez. *C. de Equestr. dignit. per tot.*

§. 28. Equidem, cùm exactis Regibus ageretur de forma Reip. constituenda, diuq; dubitaretur, quæ forma præstaret, Dion. Halic. *lib. 4. cap. 78. & seqq.* & licet libertas popularis placuisset, duobus tamen Consulibus & deinde Decem-Viris imperium committeretur, hi & Senatus omni studio ac contentione id egerunt, ut plebem ab honoribus excluderent; unde deinceps nata est fœcunda illa discordiarum secessionumque seges, quæ Rempubl. tantum non pesumdedit; donec lege Canuleja lis decisa, cautumque fuit, ut plebs magistratum honorumque capax esset, & de plebe quoque Consules, quin Dictatores, eligerentur. Dion. Halic. *lib. 11. in fin.* Bodin. *de Republ. lib. 3. cap. 8. pag m. 464.*

§. 29. Legebantur igitur & ex plebe & ex equestri Ordine ad Magistratum & in Senatum, & ita lecti semper definebant esse plebeji seu equestris Ordinis, & facti inde sunt Ordinis Senatorii. Bodin. *d. cap. 8. & pag 463.* Rosin. *Antiq. Rom. lib. 1. cap. 17.* Sed qui primi e plebe vel equestri ordine honores & Magistratus ejusmodi inierunt, *novi* dicti sunt; at horum liberi retinuerunt ordinis dignitatem, & *nobiles* appellati sunt, *l. 5. l. 7. l. 10. ff. de Senator. l. 11. C. de dignit.* Bodin. *d. c. 8. pag. 462. 463. 464.* Rosin. *d. lib. 1. cap. 19.*

§. 30. Igitur nullatenus inter plebejos habentur, qui in dignitate vel magistratu constituti sunt. Quod tamen

tamen intelligendum de magistratibus & honoribus, qui in ipsa republ. vel ejus parte aut justitia administranda versantur, qui Romanis dicti sunt Magistratus Curules, quales erant Consulatus, Censura, Prætura, Ædilitas Curulis &c. Rosin. *d. cap. 19.* Hi enim, vel in ipsa Republ. ejusq; parte tuenda, vel jure dicundo populo consistebant. Alii vero erant Magistratus, qui vel aliis rebus, v. gr. solum ærarii rationibus præfecti, vel soli plebi tuendæ constitui solebant, uti Tribunitia potestas: Tribuni enim, etsi sacrosancti essent, tamen plebei manebant, eos enim sola plebs sibi eligebat, nec reipubl. munus gerebant, sed solius plebis. Atq; ita plebeji ordinis & plebeji magistratus dicti sunt. Tacit. *lib. 11. Annal. cap. 24.*

§. 31. Unde evidenter intelligitur, cur Nobiles non fuisse dicantur, nisi qui, vel quorum majores, magistratum Curulem gessere: Bodin. & Rosin. *dd. loc.*, quia scilicet hi soli Magistratus in ipsa Republica regenda justitiave administranda, quod proprium ac genuinum summæ potestatis Magistratusq; munus est, versabantur.

§. 32. Magistratus vero *Curules* dictos existimamus à *Curibus*, id est Romanis: §. 2. *Inst. de Jur. Nat.* Sabini enim à civitate sua, *Cures*, dicti sunt κῦρες, uti apud Virg. *Æn. 9.*

Tatiog, seni (Regi Sabinorum) *Curibusq, severis.*
(id est Sabinis)

Ethinc, cum Sabini & Romani, ut in eandem civitatem, ita in idem nomen coalescerent, dicti sunt Cürites seu Quirites: utrumque enim verbum eodem sono tunc (uti & nunc à Gallis & Belgis) pronunciatum fuisse dubitari non debet. Ut & ipse Rex Romulus Cürinus

rinus seu Quirinus vocabatur *d. §. 2* Certum enim est, Romanos *qui*, ut Germani *ki* pronunciâsse, & quandoque promiscuè scripsisse; uti *eqvuleus* & *eculeus*. Sed & *u* parvum eos ut *y* Græcum vel ut *i* Latinum dixisse & aliquando scripsisse, constat: ita enim *maxime* & *maxime*; *estimo* & *estumo*: *inclitus*, *inclatus*, & *inclytus*, & innumera alia sic, maxime apud Salustium, leguntur.

§. 33. Neque adeò ipsi Gellio credendum, qui *lib. 3. Noct. Att. c. 18*. Magistratus Curules dictos ait, quòd curru in Curiam vecti sint; cùm & syllabæ quantitas, & orthographia, quibus differunt currus & cürules, cujus prima corripitur, in *curru* producitur, repugnent: etsi non negemus eos, qui in hoc Magistratu fuère, curru, cui sella eburnea imposita fuit, in curiam vehi solitos. Ergo Magistratus Curules fuere Magistratus Populi Romani, qui & Majores, *arg. l. 26. ff. ad Municip.* & cum imperio alias dicuntur: *l. 32. ff. de injur. l. 12. §. 1. ff. de judic.* illi, inquam, qui ipsi Populo Romano Qviritum, non soli plebi vel provinciis præfuère.

§. 34. Non apparet autem, initio apud Romanos in usu fuisse, iis, qui in tali Magistratu vel dignitate essent, titulos, ut vocant, addere; nisi quod magni Viri, ubi fortiter præclareq; rem gessissent, à re gesta cognomen aliquando assumferint; ut Macedonici, Africani, Asiatici &c. Tardè accidit, ut quidam Illustres, *l. fin. §. 1. ff. de Senator.* quidam Clarissimi dicti fuerint. *l. 8. ff. eod.* Quibus deinde Spectabilium, *l. 15. C. de Dign.* & demum quoque Perfectissimorum dignitas accessit. *l. 7. C. de Palat. Sacr. larg.*

§. 35. Quo factum est ut hæ dignitates in 4. potissimum classes segregatæ fuerint, Perez. *C. de dign.*

n. 3.

num. 23. & seqq. Prima omnium fuit dignitas Illustratus, ut vocatur in *l. 13. §. 8. ibi: usq; ad Illustratus gradum. C. de Judic.* Deinde Spectabilitatis. *l. 1. C. de Castrens. & minist.* Tum Clarissimus. *l. un. C. de Equest. Dign. l. 11. C. de Dignit.* Deniq; Perfectissimus. *l. un. C. de Perfectissim. Dign. Limn. lib. 4. cap. 6. num. 44.*

§. 36. Id obiter notamus, quod hæ dignitates sint Principe ejusq; familiâ inferiores; apex verò dignitatum tandē fuit *Nobilissimus*, solis Cæsaribus eorumq; liberis cōpetens. *Guther. de Offic. Domo Aug. lib. 1. c. 4. p. m. 21. Exc. Dn. Becm. Synt. Dign. Illustr. Disf. 2. c. 1. §. 3.* quò referendæ videntur inscriptiones in Fastis Consularibus obviæ: *Consule Nobilissimo puero*: his enim Imperatorum filios innui exempla ostendunt, *Gutherio d. l. cap. 12. p. 43. seqq.* allegata.

§. 37. Tandem nonnulli addunt *Egregiatum*, vid. *Guther. d. l. cap. 4. p. m. 22. & Limn. lib. 4. cap. 6. num. 44.* quem quidem certum ordinem fuisse admittimus; adstruente id satis *l. 1. C. Theod. de honorar. Codicill.* sed ad Magistratus Curules pertinuisse negamus.

CAP. II.

De Dignitatibus seu Nobilitate Germaniæ.

CONSPECTUS.

<p>IN Germania quondam Illustratum titulus Regibus, Nobilium Principibus est tributus. §. 1.</p>	<p>Hunc morem retinet adhuc Curia Romana. §. 2. An recte? 3.</p>
---	--

C

Postea

- Postea Principes Illustres di-
 eti, 4.
 it. Hohe Fürsten & hohe
 Mann; 5.
 Comites & Barones Nobiles,
 Edle Mann. §.6.
 Quam titulaturam hodieque
 servant Curia feudales. 7.8.
 Licet hodie tituli creverint:
 qui sunt personarum vel ordinis. 8.
 Duo hodie ordines officiorum
 & dignitatum Imperii; der
 Fürsten und Herren. *ibid.*
 §. 8. (vide etiam §. 23.)
 Quibus sua natura inest nobi-
 litas, sine speciali concessio-
 ne. §. 9. (vid. etiam §. 14. 15.
 17.)
 Quenam primaria Imperii of-
 ficia? 10.
 Quae reliqua utriusque ordinis?
 11.
 Eorum omnium functio consi-
 stit in tuenda rep. & justi-
 tia; non modo antequam
 hereditaria fierent sed &
 post. 12.
 Feuda, quibus haec officia hodi-
 eqve coherent, dicuntur Re-
 galia. 13.
 Feuda Regalia omnia nobili-
 tant. *ibid.*
- Officia haecenus enumerata qui
 gerunt, iis primaria in Im-
 perio nobilitas competit. 14.
 15. 17.
 Proxima ab iis nobilitas est il-
 lorum qui post eos remp. &
 justitiam administrant. 16.
 Quibusdam nobilitas concessa
 ex speciali beneficio Princi-
 pis. 18.
 Distinctio civium in nobiles &
 plebejos non eos spectat qui
 in publicis dignitatibus con-
 stituti sunt, sed reliquos pri-
 vatae conditionis cives. 19.
 Quinam ex iis plebeji? 20.
 Qui nobiles? 21.
 Patet hoc ex Jure Feudali. 22.
 Explicatio text. 2. F. 10. pr.
 23. seqq.
 Ubi differentia eorum qui ter-
 ris, & qui plebi aut plebis
 parti, praesumere. *ibid.* 23.
 Utrique fuerunt de nobilitate
 majore. 24. & 27.
 Quid voce potestatis in d. tit. 10.
 intelligatur. *ibid.* 24.
 Valvasores majores iterum ali-
 is feuda dare potuerunt, qui
 valvasores minores dicti. 25.
 An hi nobiles fuerint? *ibid.*
 & §. 26. 27.

Nobi-

<p><i>Nobiles fiunt quos Princeps plebi tuenda praeficit, non quos plebs ipsa sibi legit.</i> 28.</p> <p><i>Respondetur ad objection.</i> 29.</p> <p><i>Ministeriales nobilitatem suam habent ex speciali collatione Principis.</i> 31.</p> <p><i>De ordine clypeorum militariū: & ut conveniant cum Jure feudali communi.</i> 31. 32.</p> <p><i>Eos & nomen Equitis, togata &</i></p>	<p><i>armata mil. perinde tribui.</i> 33.</p> <p><i>Nobilitatis diplomata cur indulgeantur.</i> 34.</p> <p><i>An dignitas in immeritum conferri possit?</i> 35. 36.</p> <p><i>Jus conferendi dignitates vel Nobilitatem in imperio competit Imperatori & Statibus; idq; jus exercet Imperator.</i> 37.</p> <p><i>An & Rex Romanorum?</i> 38.</p>
--	--

§. I.

IN Germania dignitates ipsius Imperii, seu quæ ab Imperio conferuntur, in duos ordines olim divisæ fuere, *Illustrium* ac *Nobilium*. *Illustrium* dignitas Regibus tributa fuit; *Nobilium*, Principibus. Hos enim veterum Adelingos esse vel inde patet, quia tres in universum ordines fuisse tralatitium est, Adelingos, Frilingos & Lasfos: uti ex Hucbaldo & Nithardo refert Lindenbrog. in *Glossar. voc. Adelingus*. Knichen de *Subl. territor. jur. cap. 1. n. 25. & seqq.* Besold. *Thesaur. voc. Adel. vers.* Sic & ab Adelo. Lehmann. *Chron. Spir. lib. 2. c. 14.* Primorum igitur seu Principum ordinem *Adelingi* sive *Nobiles* constituerunt. Neq; hanc ordinū distinctionem in sola Saxonia sed & in reliqua Germania obtinuisse vel ex *Specul. Sjev. lib. 1. cap. 7.* apparet. Perinde ut in *Spec. Sax. lib. 1. art. 3. §. 2.* omnes dignitates Principibus inferiores ad alterum ordinem, *Frilingorum*, referuntur, & in *Freye Herrn und Mittel-Freyen d. c. 7.* oder in *die freye Herrn und deren Manne d. §. 2.* iterum discernuntur. Adelingos igitur Principes & primi ordinis fuisse oportet.

C 2

§. 2. At-

§. 2. Atque ita Principes Nobilis titulo usos fuisse docet Befold. *d. l. vers. Nobilium olim titulus &c.* Adeò ut hujus moris adhuc sit retinentissima Curia Romana, quæ Regibus scribit REGI ILLUSTRIS; c. 7. X. de offic. legat. c. 3. X. de Judic. Principibus, NOBILI VIRO; c. 46. X. de Testib. c. 34. in fin. & in not. n. 1. X. de Elect. Imperatoribus, ILLUSTRISSIMO IMPERATORI. c. 6. X. de Major. & obed.

§. 3. Verùm superiore seculo rejectæ sunt hæ ad Electores & Principes protestantes datæ à Pontifice literæ. Thuan. *Histor. ad ann. 1561.* Eoque id absurdius videtur, quod eundem titulum Curia Romana nobilibus Italiæ Civibus, uti civi Pisano aliisque, tribuat. c. 10. X. de Procur. c. 15. X. de Judic. Et verò semper ita usu venit, ut, cum titulus cum inferiore ordine communicatur, evilesceat videatur, superiorique aliud & eminentius cognomen conferendum sit.

§. 4. Deinde igitur Principibus Imperii nomen *Illustrium* cesit; Comitibus & Baronibus *Nobilium*. De Principibus passim res obvia est. Ita enim semper, qui in utroq; Speculo Fürsten / in Latino textu *Illustres* vocantur. Spec. Saxon. lib. 1. art. 3. §. 2. ibi: *Laici Principes, qui Illustres nuncupantur.* Lib. 2. art. 42. ibi: *Illustres seu Principes.* Atq; ita in lib. 3. art. 45. §. 1. & 2. art. 51. §. 3. art. 53. §. 1. & 2. art. 55. art. 56. art. 58. & art. 64. §. 2. Et in Aur. Bulla Caroli IV. Rex Boëmiae, & cæteri Principes Electores in textu Latino *Illustres* dicuntur, in Germanico, *die Erläuchten* / A. B. tit. 5. §. 1. & tit. 24 pr. vel *die Durchlauchtigste.* A. B. tit. 7. §. 2. tit. 8 pr. tit. 11. §. fin. & tit. ult. Sed in antiquo codice, cujus exemplum edidit Goldast. tom. un. Const. Imp. fol. 121. semper vertitur, *den Erläuchten* vel *Herluchten* / quæ vox quoq;

qvoq; in *tit. 18. dicti codicis* habetur. Ita & Gallia Regis filius, Delfinus, *Dux Normannia Illustris* dicitur, d. A. B. *tit. 24. in rubr.*

§. 5. Idem Principes dicuntur qvoq; *Hohe Fürsten* / ut in *Reform. Polit. Sigismundi cap. 9. §. 1. daß Hohe Fürsten die große Land haben &c.* apud Gold. *Constit. Imp. tom. un. fol. 190.* item *Hohe Mann* / ut in *Recess. Imp. Mogunt. de anno 1236. cap. 1. §. 6. ibi: Er sey Fürst oder anderst ein Hoch Mann / & cap. 24. ibi: ohne Fürsten und andere Hoch Leute* / apud Gold. *d. tom. un. ad an. 1236. fol. 80.*

§. 6. Contrâ, Comites, Barones &c. postea *Nobilitium* titulo insignitos fuisse, itidem patet ex *Spec. Sax. d. lib. 1. art. 3. §. 2. ubi ordo Principibus proximus Nobilium esse dicitur. Tertium* (clypeum militare, *Heerschild* / habent) *Laici Principes, qui Illustres dicuntur: Quartum Nobiles & liberi Domini.* & in *Constitutione Henrici VI. de anno 1232 cap. 2. & cap. 3.* apud Gold. *d. tom. un. fol. 79.* Ita *Befold. P. 2. Conf. 88. n. 36.* Comitem olim *Edelmann* dictum docet, quem allegat *Limn. Addit. 2. ad lib. 6. cap. 1. ad n. 15.* ubi & exemplum Comitum de *Waldeck* affert, qui, oblatis *Serenissimo Landgravio Hasia* allodiis, promisere, daß sie dessen getreue *Edelmann* seyn und bleiben wollen: & aliud documentū, quo *Comes de Sayn* dictus fuit *Edelmann* &c.

§. 7. Atq; hoc hodieq; fervant *Curia* feudales, testisq; est *Magnif. Dn. Præs. Dn. Patrono noster Colendis.* qui id ex *Archivo Curia* feudalis *Palatina* & literis investiturarū notavit, quod Principes hac formula utantur: *Alles das zuthun / was Hohe Mann von Rechts- und Lehns-Gewonheit wegen zu thun schuldig sind.* In quibusdam Principum literis utrumque continetur; *was Hohe Edle Mann &c.* uti *Serenisf. Land-*

gravii Hasfiæ spondere solebant: *Alles zu thun / was Hohe Edle Mann ihrem Herrn zu thun schuldig sind.* Verum illi id gravabantur, petebantq; ut vox, *Edle /* omitteretur: quod ita quoq; convenit. Unde in prioribus investituræ literis reperitur formula: *Was hohe Edle Mann:* In posterioribus: *Was hohe Mann zu thun schuldig sind.*

§. 8. Ex quibus omnibus evidenter confirmatur distinctio officiorum & dignitatum in duos ordines; *der Fürsten und Herrn:* vid. *Magnif. Dn. Præs. Jur. Pub. Prud. cap. 15. §. 21.* qui hodieque in Curiiis feudalibus ita distinguuntur, ut alii sint *Hohe /* alii *Edle Mann;* etsi tituli, quibus nihil magis varium est, mutati, & Principibus *Celsissimorum,* dein *Serenissimorum;* Comitibus *Illustrium,* postea *Illustrissimorum;* ac Baronibus *Perillustrium* nomen tributum sit. Sed alii tituli sunt quibus personæ, alii, quibus ordo ipse compellatur.

§. 9. Ex his igitur id omnino manifestum est, omnes dignitates, quæ ad duos hos ordines referuntur, plenam equidem nobilitatem conferre, etsi id in concessione additum non fuerit: imò eam esse primariam Imperii nobilitatem, quæ ita his dignitatibus inest, ut peculiari, & aliâ quàm ipsius officii collatione opus non sit.

§. 10. Ita prima omnium inter Consiliarios atq; in administratione Reip. Cancellarii dignitas existimata fuit: excepto, si fortè specialiter Proprinceps vel Præsides Consilii constitutus esset. *Mallingk. de Archi-Canc. Imp. in proæm.* Quo nomine hodieque Archi-Cancellarius Imperii primas præ omnibus obtinet. Hanc sequuntur reliquæ primariæ dignitates Aulæ, *Die Weltliche Erz-Kemter /* Archi-Mareschalli, Archi-Came-

Camerarii, Archi-Dapiferi, Archi-Pincernæ, qui non modò omnib9 aulæ officiis præfunt, sed & cum Archi-Cancellariis, vi horum primariorum officiorũ, sumum Imperii Consilium constituunt, quod in administratione totius Imperii concurrat.

§. II. Tum reliquæ Principum dignitates atque officia primi ordinis, Fürsten-Memter / ut vocantur in Spec. Sjev. lib. 1. c. 20. §. 3. & c. 44. veniunt: Scil. Ducum, Marchionum, Landgraviorum, Burggraviorum &c. Denique dignitates & officia secundi ordinis, Nobilium, variis nominibus officiisque distincta: ut: Freyherrn / Stab-Herrn / Banner-Herrn / Edle Herrn / Freye / Edle / & simpliciter Herrn.

§. 12. Harum dignitatum omnium vis ac ratio atq; functio in gubernanda rep. & justitia, ejusve parte aliqua, consistit; non modo tũm, cũm nondum in familia perpetuarentur, sed propriè nomina officiorum erant, Vultej. de Feud. cap. 8. §. 36. vers. Penitius. sed & imprimis ex quo hereditariæ esse cœpere, & nomina propriæ potestatis facta sunt. Hæ igitur primariam nobilitatem suã naturã absq; ulla speciali ejus collatione tribuerunt.

§. 13. Unde est, quod hodieq; ex quo illa officia & dignitates territorio ac feudis regalibus in perpetuum & jure hereditario cohærent, feuda illa dicuntur habere regalem dignitatem, id est, immediatè à Rege & Imperio constitutam: 1. F. 14. in princ. & vocantur vulgo feuda Majorum dignitatum. Vultej. d. c. 8. n. 36. vers. Penitius. Ex quo firmatur cõmunis & verissima illa DD. doctrina, quod omnia feuda regalia nobilitent: Wesemb. de Feud. c. 2. n. 4. Zas. de Feud. part. 5. vers. Ut ergo colligas. Ludwell in Synops. Jur. feud. c. 3. §. Nobile feud.

feudum. in fin. Borcholt. *de Feud. c. 4. n. 13. & seqq.* Neq; de eo quisquam dubitabit, si cogitet, non esse feuda regalia, nisi quibus prædictæ dignitates cohærent; sc. Ducatus, Marchia, Comitatus. *2. F. 10. pr. Ord. Cam. p. 2. tit. 7.* Si quis ergo de feudo regali, Ducatu, Marchia, Comitatu, Baroniam investitus, eoque Dux, Marchio, Comes, Baro factus fuerit, indubium est eum de præcipua Nobilitate Imperii esse.

§. 14. Quod proinde multo magis asserendum est de dignitatibus majoribus, scil. Archi-Cancellariorum, Archi-Camerariorum &c. quæ præcedunt reliquas. *supr. §. 10.*

§. 15. Hæc igitur officia, quæ omnia Reip. vel justitiæ administrationi sacra fuisse diximus, etiam antè quàm hereditaria facta essent & cum territoriis in perpetuum coalescerent, in Imperio nostro summæ semper fuere post Regem Regiamque familiam dignitates: unde iis, qui ea gessere, sola officii hujus concessione primaria in Imperio Nobilitas competiit.

§. 16. His itaque consequens est, quæ post eos dignitates ac functiones administrandâ parte Reipubl. aut justitiâ occupatæ sunt, sive in Consilio Principis, sive in alio autoritate Imperiali instituto Collegio vel munere, eas proximam superioribus Nobilitatem ipsa officii sui dignitate sine alia collatione consequi.

§. 17. Equidem hodie nulla aliarum dignitatum contendi cum illa Statuum dignitate potest, quæ jam propria, instar Regiæ, & quodammodo summa in suo territorio est potestas. Verùm constat, etiam tum, cum nondum essent patrimoniales, sed mera officiorum nomina, eas jam tum tamen summas Imperii dignitates, & primariam Nobilitatem in iis fuisse.

Cum

Cum igitur ostensum sit, harum dignitatum præstantiam ac nobilitatem à muneris rationibus esse, quod afferendâ justitiâ ac republ. re omnium in terris sanctissimâ & nobilissimâ, constituitur; ea autem his quoque dignitatibus communis ratio atque conditio sit, etiam communis, licet pro suo modo & pluribus graduum intervallis distincta, nobilitas erit.

§. 18. In his igitur ipsa muneris dignitas tribuit nobilitatem, ut alia ejus collatione & concessione opus non sit. Post hæc officia autem sunt & alii, quibus dignitas seu Nobilitas singulari Principis beneficio ac privilegio conceditur: uti concedi solebat iis qui in aulis ac bellis ministeria præstabant, in præmium operæ gnaviter præstitæ: unde Ministeriales, *Dienstmann/ Knechte/ Edle Knechte* dicebantur; alii Equites *Rittere*: ex quo vulgatum illud in Recesibus Imperii aliisque instrumentis publicis, *Ritter und Knechte*. Quorum proinde ministeriorum conditio indubiè infra dignitates publicorum officiorum, de quibus antè diximus, subsistit. *conf. inf. §.*

§. 19. Illud ergo iterum iterumque hinc constat, quàm ab omni ratione, & ab institutis ac legibus Germaniæ alienissimum sit, has publicorum officiorum, & imprimis reip. justitiæq; tuendæ consecratas dignitates in civicum, ut vocant, vel plebejum ordinem detrudere, & quæ majoris Nobilitatis nomina sunt, Nobilibus opponere; cum ista distinctio inter plebejos ac nobiles ipsas dignitates reipubl. nullo modo contingat, nec ad eos, qui in publicis dignitatibus constituti, harumque collatione majorem dignitatem consecuti sunt, pertineat, sed reliquos privatæ conditionis cives ab invicem secernat. Hi enim ab antiquo duplici di-

D

discrimi-

serimine habiti, & hinc duplex eorum ordo, plebejorum ac Nobilium fuit. Quod paucis firmandum est.

§. 20. Scilicet, non illos, qui dignitates in re publ. gerebant, & parti reip. vel iustitiæ præerant, sed privatos ita dispefcuere Majores nostri, ut alii in vicis & urbibus mercaturæ, opificiis, agriculturæ, aliisque, quæ paria iis sunt, exercendis vacarent; quibus & accensiti sunt qui in aulis & bellis vulgarem ac gregariam operam præstitere, quippe qui ex agris ferè in militiam selecti sunt, atque hi semper *plebs* seu *de plebe*; item *plebeji* vel *civici ordinis* dicti sunt: adeò ut his diplomata Nobilitatis concedi non soleant. Conf. Capit. Joseph. art. 43. *vers. deßgleichen wollen wir ic.*

§. 21. Alii vero præstantiorem operam ac ministeria exhibuere in aulis ac bellis; & in eorum vicem beneficia feudaque; unde conditionem suam tueri possent, tenuerunt: qui singulari beneficio à plebejis discreti, iidemque fuere, quos ministeriales, *Dienstleute*; famulos, *Knechte*; milites, &c. dictos jam vidimus.

§. 22. Horum conditio, & quid illa tum ab officiorum publicorum dignitatibus, quæ superiores; tum à plebejo seu civico ordine distet, jure feudali egregie depictum definitumque est. More enim antiquo Germaniæ officiis ac ministeriis non annuæ pensiones è Camera Principis, sed beneficia congrua pro cuiusque modo & officii ministeriique varia conditione constituebantur, quibus proinde illorum quoque gradus ac ordines dignoscebantur, uti mos iste adhuc permansit in ordine ecclesiastico, dum Jure Can. cuique officio congruum beneficium assignatum est. Sed & in officiis hereditariis Principum idem usu venit: & perspicuum facient quæ sequuntur.

§. 23. No-

§. 23. Notabilis præsertim in eam rem textus est 2. F. 10. princ. ubi tota Nobilium & plebejorum ratio exponitur: estq; ibi observandum I. Omnium Reip. dignitatũ duo genera fieri: alterũ eorum, quibus à Rege Ducatus, Marchia, Comitatus, (cui hæctenus Baronias comparari in Imperio certum est) conceduntur; qui olim dicebantur Capitanei Regis vel regni 1. F. 1. §. fin. alterum eorum, qui à Rege vel alia potestate præficiuntur plebi alicui vel plebis parti: qui proprie *Valvasores Majores*, deinde etiam *Capitanei* dicti sunt; scil. Capitanei Principum. His vero verbis, *de plebe aliqua vel plebis parte*, intelligi civitates &c. ex oppositione patet: terrarum enim integri districtus, vel Baronix fuerunt vel Comitatus &c. quæ ad prius membrum pertinent. Et Capitaneos urbium præfectos vocatos fuisse ex Ott. Frising. *de reb. gest. Frid. I. lib. 2. cap. 13.* apparet; & Cujacius *in d. tit. 20. Feud.* ex Platina docet. Exempla quoq; talis præfecturæ urbium, uti aliàs olim frequentia fuere, ita extant in Pace Monast. § 73. & seq. ubi Præfectura urbium Alsaticarum cessa est Gallix. Et hæc differentia eorum, qui præfuerunt terris, v. g. Comitatus &c. & eorum qui plebi aut plebis parti, traditur quoque ap. Cujac. *d. l. Sigon. de Regn. Ital. lib. 7. ad ann. 973.* Gvilimann. *de Reb. Helvet. lib. 2. cap. 11. &c.*

§. 24. Hæc igitur non sunt ministeria, sed officiorum publicorum dignitates, ac munera eorum qui præfuerunt parti reip. ac justitiæ. Nec quisquam dubitat, quin hi omnes sint de nobilitate majore quoque, & non de plebe, sed plebi præfecti, sive à Rege sive ab alia aliqua potestate. *d. t. 10. & DD. modo alleg.* ut plenius patebit ex sequentibus. Voce potestatis autem *in d. t. 10.* intelligi debet talis potestas, quæ jus habuit

constituendi aliis magistratus, uti Dux, Marchio &c. quia jus hoc regale magnum est, aliis magistratus dare. 2. F. 56.

§. 25. Porrò observandum & II. *ex d. t. 10.* hos ita plebi quoque præfectos, qui Capitanei aut Valvasores Majores dicebantur, iterum aliis feuda dare potuisse, qui Valvasores minores dicti sunt, neq; pro magistratu aliquo feudum capiunt, sed pro ministeriis. 2. F. 34. §. 2. *ibi: ad hoc ut feudum si contigerit domino similiter servire, ut & prior, possit.* Et hi quoque cum hoc feudo consequuntur nobilitatem, modo illud ab antiquis temporibus tenuerint; alioquin enim, si noviter à prædictis Capitaneis seu Valvasoribus Majoribus investiti fuerint, non fiunt nobiles sed manent plebeji; quemadmodum expressa sunt hæc in *d. t. 10.* verba: *Ceteri, qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter à Capitaneis vel Valvasoribus acquisierint, PLEBEJI nihilominus sunt.* Et ita quoque Cujac. *ad d. tit. 10.* & Gvilim. *d. lib. 2. cap. 11. pag. 242.* Idemque ex usu quorundam locorum statuitur de eo qui à Valvasore minore feudum quæsit & *Valvasinus* dicitur, *d. tit. 10.* a libi vero huic feudum dominus auferre potest: nam ne in infinitum Vasalli feuda in alios iterum transferant, dicitur in 2. F. 24. §. 2. *In quibusdam curiis ultra tertiam personam, (sc. Capitanei, Valvasoris majoris & minoris) feudi concessionem non extendi, sed cum feudum pervenit in quartam personam (Valvasini) ei auferre dominum posse. d. tit. 24. §. 2. & d. tit. 10. & 1. F. 1. §. fin.* Quod tamen nec hodie obtinet, nec olim ubique obtinuit; *per dict. text.*

§. 26. Causa autem, cur, qui à prædictis Capitaneis accepere feuda, plebeji manserint, à Cujacio ad *d. tit.*

d. tit. 10. hæc redditur, quod justus miles non sit. Verum id omnino supponitur, *per d. text. in 2. F. 34. §. 2.* & nec solus nec omnis miles nobilis est; & eadem ratio esset si ab antiquo tenuisset. Vera igitur ratio videtur, quòd hi Capitanei seu Valvasores majores sint à Duce, Marchione &c. constituti, adeoque mediati, qui non habent jura territorii & potestatem concedendæ dignitatis ac nobilitatis. Si verò ab antiquis temporibus id obtinuerint, videntur usu diuturni temporis, & tacita voluntate superioris domini, scil. Principis, eam quæsiuisse. *d. tit. 10. Guillim. Rer. Helv. lib. 2. c. 11.*

§. 27. Adeò igitur nunquam dubitatum fuit de Nobilitate eorum, quos Rex vel Princeps Imperii, Dux, Marchio &c. plebi quoque regendæ tuendæq; præfecit, ut illis quoque, qui ab iis accipiunt feudum, ut unà Domino servire possint, nobilitas tribuatur, si diu feudum possederint. *supr. 25. 26.* A quo igitur feudum cum Nobilitate in alium quandoq; transire potest, eum ipsum nobilitate carere nemo quisquam nisi ridiculè asferuerit. Ita Guillimannus, accuratissimus in his rebus scriptor, *lib. 2. rer. Helvet. cap. 11.* ait: *Si quis feudum à Principe, vel Duce, vel Marchione (de Comite infr. cap. 3.) acciperet, eadem operâ nobilitatem consequeretur, & inter Nobiles refereretur: loquitur autem de feudo, quod muneris publicè collati causâ conceditur.*

§. 28. Restrinximus autem Nobilitatem ad eos qui à Principe in dignitate tali constituti & vel reip. vel plebi saltem, aut ejus parti jure gubernandæ præpositi sunt. Nam quos ipsa plebs sibi legit, iis plustribui non potest, quàm penes ipsam plebem fuit.

§. 29. Etsi autem hodiè non amplius officiis istis feuda conhæreant, nihil tamen hætenus interest, an



dignitas ex feudo, an aliunde sustentetur: cum causa dignitatis non sit à genere reddituum, seu modo ejus sustentandæ, sed à qualitate muneris quo fungitur.

§. 30. E contrario igitur & illud hinc evidens est, neminem extra officia dignitatesq; publicas, atq; adeò nec ministeriales qui dicti sunt, potestate ministeriorum atque operarum suarum Nobiles habitos fuisse, nisi specialiter iis à Principe Nobilitas collata, vel, uti olim saltem obtinuisse videtur, *supr.* §. 26. antiqua possessione feudi, quo à Valvasore Majore seu Capitaneo investiti sunt, quæ sita fuerit. Hi igitur nobilitatem habent non à functionibus suis, sed à collatione Principis, similive legitima causa.

§. 31. Atq; his, quæ ex jure feudorum hætenus exposuimus, conveniunt ea, quæ ex utroque Speculo Teutonico de clypeorum feudalium ordine tradita fuere. Etsi enim septem ibi recensentur clypei, tamen antea (& hoc jus antiquius congruit juri Feudali communi) sex fuisse dicitur, & causa mutationis redditur in Spec. Saxon. *art. 3. vers. die Lânen-Fürsten.* Hoc jure igitur Principes, sive Clerici sive Laici, alterum ordinem seu clypeum habuerunt, *d. art. 3.* & Principes dicti sunt, quia primi à Rege feuda accepere, ut probat Spec. Sæv. *lib. 1. cap. 31. §. 1.* Tertium Nobiles & liberi Domini, uti Comites & Barones, qui & ipsi à Rege feuda sua accipiunt, *2. F. 10.* Quartum, qui primi à Principibus feuda sua capiunt, jure feudali Valvasores Majores, tum verò Capitanei, *2. F. 10.* in Spec. Sæv. *lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 1.* Mittel-Freyen; in Spec. Saxon. *lib. 1. art. 3.* Schoppenbahre Leute; & in textu Latino Banniti, hodie Banner-Herrn dicti: bannum autem inter alia judiciũ quoq; significabat, sic Schoppenbahre

penbahr ritè redditur in *d. lib. 1. art. 3.* bannitus. Atq; adeò hos ultimos in ordine Nobilium & eorum qui officia reip. gessere, reliquos verò plebejos fuisse patet ex *d. text. in 2. F. 10.* & ex haftenus dictis. Conf. *cap. 3.*

§. 32. Quintus ordo seu clypeus fuit *der Dienstleute*: Spec. Sjev. & Sax. *dict. loc. seu Valvasorum minorum, 2. F. 10.* qui non officia reip. gesserunt, sed ministeria praestiterunt, ut tum ex nomine patet, tum ex *2. F. 34. §. 2.* ibi: *ut Domino servire possint*, & plebeji fuere, nisi usu vel à Principe specialiter insignia Nobilitatis consecuti fuissent. *supr. §. 30.* Ultimus deniq; seu sextus Valvasorum minimorum s. Valvasinorum fuit, *der Dienstleute Mann* / de quibus utroq; jure feudali & Teutonico dubitatur, an usum & jura Feudorum habeant. *2. F. 10. §. 34. §. 2.* Spec. Sjev. *lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 1.* Spec. Sax. *lib. 1. art. 3.*

§. 33. Clypeus autem, ut & nomen Equitum, *Ritter* / non tribuuntur tantum militiæ armatæ, sed & togatæ; scil. *den Bischoffen / Aepfen &c.* Spec. Sax. *d. art. 3. & lib. 3. art. 59.* & Spec. Sjev. *d. cap. 7.* Et ita in Reform. Polit. Sigism. tit. vom Ritterlichen Staat. 10. dicitur: *Man soll mercken vom Ritterlichen Staat / es seyen Geistlich Ritter oder Weltlich.* Item Glosf. ad Jus Sax. *d. art. 3. f.* *Ritterschafft ist zweyerley: Ertliche der man in Kriege pfleget; Ertliche die man in Rechten ubet.* ubi latè. Et in Weichb. Magdeb. *art. 8. n. 2. §. 3.* Imperator gladium judicandi, quem ipse habet, dicitur *commisisse omnibus qui nomen militis habent.* Ut adeò hæc priscae ac veræ nobilitatis ratio & quasi norma sit; Zobel. ad Jus Sax. *d. artic. 3. lit. 1.* *Ben den Heerschilden vernun alle Stände der Obrigkeit / von den Adel aller Stände / obrist und niederst.* Quod & docet Guillim. *d. tr.*

d. tract. lib. 2. cap. 11. ubi sub finem hæc addit: *Nobiles ipsi prædia sua vel feuda aliis ex plebe & vulgo indulserunt, qui, progressionem factam eorum, titulo etiam Nobilitatem sibi vindicabant. Quo ex fonte infinita Nobilium profluxit multitudo.*

§. 34. Sed & aliis indulgeri videmus diplomata Nobilitatis, etsi causa non pertineat ad perfectionem animæ, sed ad artificia corporis, vel ex mera gratia, non habita ratione muneris: quo casu insignia ac beneficia dignitatis, non dignitas tribuitur, cujusmodi exempla complura videsis apud *Limn. lib. 6. cap. 1. n. 53. seqq.* & imprimis ap. *Exc. Dn. Becmann. d. Synt. Dign. Illustr. Disf. 14. cap. 2. §. 6. & 7.*

§. 35. Unde solvitur quæstio, an dignitas in immeritum conferri possit? Resp: Equidem, si id fiat, consequitur ille ex hac concessione non quidem dignitatem ipsam, cum contradictio sit, dignum seu meritum & immeritum esse, *supr. cap. 1. §. 21.* sed illa jura, commoda & privilegia, quæ in Republ. isti dignitati tributa sunt. Ea enim Princeps, à cuius arbitrio pendet, & cui eorum dispensatio competit, concedere ei, cui libuerit, potest: ejusque hac in re iudicio merito statur. *Capit. Joseph. §. 53.* Ita cum extraneus filium arrogat, non quidem ille verè pater fit, qui demum generatione constituitur; sed dicitur & habetur pater, quia eadem jura & beneficia, quæ patriæ potestati lege civili tributa sunt, per hunc actum ei conceduntur. Et cum spurius legitimatur per rescriptum Principis, non ideo mutatur natalium vera conditio, nec inde efficitur ut concubitus ille illicitus sit justum matrimonium, sed tantum illa jura, privilegia, beneficia, quæ lege civili (nam naturalia jura mutari his modis non possunt, per *§. fin. Inst. de legit. adgn. tut.*) legitimis con-

con-

concessa sunt, & lege civili, adeoque & arbitrio Principis, concedi possunt, iis quoque communicantur.

§. 36. Hoc autem per se patet, nec moneri meretur, non posse hæc jura vel insignia dignitatis ei tribui cui natura impedimento est. Quis enim non abhorreat monstrum illud, quòd Cæsar Caligula equum suum Sacerdotem, & quidem sibi in Sacerdotio Collegam fecerit, Dion Casf. *Hist. lib. 59. in fin.* & Consulem eum facere pollicitus fuerit. Sveton. *in Calig. cap. 55.* Dion. Casf. *d. lib. 59. ad ann. V. C. 797.* ubi addit: *καὶ πάντως ἂν καὶ τὸ ἐπεποιήκει, εἰ πλείω χρόνον ἐξήκει; Ἐὶ ὀμνίκο hoc quoque fecisset, si longius vixisset.* Cui non absimilis est fabula illa rustici Paduani, quæ in abusum creandi Doctores inidoneos vulgò edita & conficta est, impetrato, ut filio gradus conferrentur, porro petentis, ut asinum quoque suum in Doctorem crearent. Adeò res sanctissima, tuendæ justitiæ arcendæque barbariæ piissimo zelo à Majoribus instituta, in ludibrium & opprobrium orbis incredibili abusu vertit.

§. 37. Cujus in Imperio sit jus conferendi dignitates vel Nobilitatem Imperii patet: scil. Imperatori & Statibus. Ita Georgio Sabino propter eruditionem insignia nobilitatis & jus 4. avorum nobilium à Carolo V. cum consensu Statuum collatum fuisse, in diplomate dicitur, quod extat apud Limn. *Add. 2. ad lib. 6. cap. 1. n. 55.* Non tamen semper id ita fieri, sed Imperatoris judicio ferè permitti solet, ita tamen, ut dignitatum diplomata non ex Cancellaria Aulica, sed Imperii expediantur. Cap. Jos. *art. 43.*

§. 38. De Rege Romanorum dubitari solet; sed facilis solutio est. Ei equidem, ut Regi, Jura Regia & Majesta-

E

Majesta-

Majestatis competunt, sed per leges Capitulationis non potest illa vivo Imperatore absq; ejus consensu exercere. Cap. Jos. art. 47. Cujusmodi aliæ quoque quæstiones hic tractari possent, sed cum remotiores sint ab instituto, eas hic jam non tangimus.

CAPUT III.

*De Dignitatibus seu Nobilitate
quam Principes Imperii conferre
possunt.*

CONSPECTUS.

- | | |
|--|---|
| <p>Reg. I. Princeps Imperii non potest alii conferre dignitatem suâ superiorem. §. 1.</p> | <p>Jure conferendi summarum dignitatum officia, bello & pace, iidem semper usi sunt. 6</p> |
| <p>Reg. II. Nec dignitatem suâ parem. §. 2.</p> | <p>Ipsis lege injunctum fuit, ut in aulis suis 4. præcipua dignitatis officia secularia constituerent. 7.</p> |
| <p>Tribus modis parem quis sibi dignitatem constituere videtur. §. 3.</p> | <p>Legatum cum charactere mittere possunt. 8.</p> |
| <p>Reg. III. Dignitatem suâ minorem, adeoq; & nobilitatem, quisque Principum in suo territorio concedere potest. §. 4.</p> | <p>Ab antiquissimis temporibus potuerunt Valvasores majores creare, quos nobiles factos fuisse probatur. 9.</p> |
| <p>Probatur hoc variis rationibus. ibid. & §. 5. seqq.</p> | <p>Iis parem fuisse ordinem der Mittelfreyen / qui & ipsi Nobiles & à Principibus facti fuere. 10.</p> |
| <p>Principes Imp. omnia regalia jure proprio habent. §. 6.</p> | <p>Etiam Valvasores minores ex
tacita</p> |

tacita eorum voluntate nobilitatem quandoq; acquisiverunt. 11.
 Nihil ob stare, quòd hi ordines hodie mutati sint. 12.
 Quatenus distinctio Ordinum feudalium antiquorum hodie obtineat? 13.
 Mittelfreyen verè nobiles fuisse porrò ostenditur, tum ex nomine; 14.
 Tum ex officio. 15.
 Ad summas quoq; Imperii dignitates adhiberi illi poterunt. 16.
 Feudum non nobilitat, sed officium feudo annexum. 17.
 Decisio questionis; An Feudi nobilis collatio nobilitet? 18.
 Explicatio sententiae: Es erhöhet nichts des Manns-Schild den Fahnen-Lehen. 19.
 Principes adhuc hodie solent feuda aliis dare cum omni dignitate &c. 20.
 Responsio ad objectionem; quod quidam Principes jus nobilitandi habeant ex speciali privilegio. 21.
 In quibusdam plus juris habere

qui ex privilegio, quàm qui vi Officii Nobiles sunt. 22.
 Iisdem jus nobilitandi competere docent plurimi DD. §. 23.
 Principes Imperii non possunt facere Comites & Barones, quia sunt dignitates Imperii. 24.
 Possunt tamen similes dignitates & officia constituere in suo territorio. 25.
 Quae ubiq; etiam extra territorium agnoscuntur. 26.
 Eadem ratio est Nobilium à Principibus creatorum. 27.
 An his jura Nobilium alibi denegari possint? 28.
 Jura illa esse vel communia, vel cuiq; territorio propria. 29.
 An dignitas ei, qui subditus non est, conferri possit? Neg. 30.
 Quid de Doctoratu & Collegiis Ordinum Equestrium. 31.
 Jus nobilitandi cur non tribuatur Comitibus & Baronibus etsi officia constituere possint. 32. 33.
 Respondetur ad textum Juris Sax. lib. 1. art. 3. 34.
 Ἀνακεφαλαιωσις. 35.



HÆc uberiùs hæctenus exponi, atque ita antè præmuniri oportuit, quam ad hanc haut levis momenti quæstionem accederetur. Jam verò esto hæc *Regula prima*: Neminem, atque adeò nec Principem Imperii conferre alii dignitatem posse suâ superiorem: neque enim quisquam in alium transferre plus potest, quàm ipse habet. *l. 20. ff. de A. R. D.* Equidem haud obscura sunt exempla Ducum, qui se Reges fecêre; uti Duces Portugalliæ, Duces Poloniæ &c. Verùm vel jam antè penes eos est summa & à nemine dependens potestas; & tantùm mutatio nominis fuit, quam sequitur fortè solennium atque insignium, non potestatis variatio: vel sub alterius potestate suprema; & tum hoc agendo eximunt se illi potestati, quo casu vel justa eximendi causa est, & idem est quod in superiore specie, ubi liberæ potestatis Princeps Regem se facit; vel justa causa non est, & quicquid fit, de factò & injuriâ fieri intelligitur.

§. 2. *Regula altera* est: Quòd nec dignitatem suâ parè aliis Principes concedere possint: cum concessio dignitatis sit actus imperii & superioris; injungitur enim alii munus administrandum, cui dignitas cohæret. Quin, cum concessio dignitatum & constitutio magistratus sit inter præcipua jura Regalia & Majestatis, *2. F. 26.* non possunt illa exerceri nisi in subjectos: Unde tritum illud, quod par in parem Imperium non habeat, *l. 3. §. fin. l. 4 ff. de Rec. arb.*

§. 3: Sunt tamen & modi, quibus quis parem sibi dignitatem aliis constituere videtur, cum tamen propriè id non fiat, quia non novam alii constituit, sed eam, quæ antè fuit, & quam ipse antè habuit, in alterum

rum

rum transfert. Quod tribus fere modis fit: I. Cùm quis regno vel summo Principatu alteri cedit: quo, si id cætera rite factum fuerit, transfertur regnum ab uno in alterum. Ita Ariobarzanes Cappadociæ Regno filio suo decesit; Val. Max. *lib. 5. cap. 7. n. 6.* uti Seleucus Ptolomæo itidem filio; Justin. *lib. 16. c. 2.* & Ninus Semiramidi uxori: ut quidem ex Dione refert Ælian. *Var. hist. lib. 7. cap. 2.* Quod & fit, cùm victus victori regnum relinquit; vel cùm plures regnum inter se dividunt, pluraque regna ita constituunt; uti Franciæ Regnum in tria regna divisum fuit inter Caroli Magni & Ludovici I. filios. II. Cùm quis jure feudi aliquem de regno investit; ut sunt exempla utriusque Siciliæ, Bohemiæ &c. III. Cùm saltem fœdere inæquali regnum alteri jungitur: ut cùm Romani Reges fecere, coronasque dedere: quomodo & Carolus Calvus Odonem affinem Regem Provinciæ fecit. Utrumque fit non Regiam potestatem novam, & quæ non fuit, creando, sed suam alteri communicando, vel per feudum, ratione dominiï utilis, reservato sibi directo; vel per fœdus inæquale, eâ in totum alteri cedendo, reservatis quibusdam juribus, quale regnum clientelare dicitur. Tale fuit Regnum Burgundicum, quod Arnolphus Rudolfo concessit, Conring. *de Fin. Imp. lib. 1. c. 12. §. 6.* Sic & regnum Italiæ Otto I. Berengario beneficii jure concessit. Sigon. *de Regn. Ital. lib. 6. in vita Ott. I. sub ann 952.* Cùm verò superior inferiori dignitatem largitur, nihil suæ potestatis in eum transfert, sed administrationem, quæ nomine ipsius concedentis exercetur.

§. 4. Hinc *tertia* deniq; sequitur Regula: Quòd dignitatem suâ minorem quisq; Principum Imperii in

E 3

suò

fuo territorio conferre indubiè possit. Quod quemadmodum I. ex superioribus sequitur, cum prædictis rationibus sola excludatur facultas potestatem dignitatemq; in superiorem & parem, non verò in inferiorem conferendi, nec alia ratio afferri possit quæ id impediatur; Ita II. hoc inde quoq; ostenditur, quia ille, qui potestatem jure proprio habet, eam plenissimè & cum summa secundum ipsum autoritate ac dignitate, sub quolibet nomine dignitatem illam exprimente, alii committere potest; *l. 5. ff. de Jurisd. Ec.* cum nihil intersit, per se an per alium quis potestatem sibi propriam exerceat; atq; is, cui committitur, minister sit alienæ potestatis, alteriusq; vices tum in munere, tum in dignitate quæ ei cohæret, pro modo ejus sustineat.

§. 5. Sed & III. cum Principibus sublimis illa territorii potestas jure proprio competat; cujus vi omnia jura Regalia in suo territorio perinde exercere possunt, ut Imperator in Imperio, quemadmodum communis illa Dd. Juris Publici vox est: Knich. *de subl. territ. jur. cap. 1. n. 379. & seqq. ibiq; alleg. & cap. 2. n. 3. & seqq.* sequitur, quòd in suo territorio quoq; dignitates & Nobilitatem conferre possint: A potestate enim Imperatoris in Imperio rectè arguitur ad potestatem Principum in suo territorio: Knich. *d. cap. 1. n. 381.* & Princeps fundatam dicitur habere intentionem in omni superioritatis jure, Knich. *d. cap. 2. n. 4.* donec in specie aliquid exceptum probetur.

§. 6. Idem IV. testatur usus & evidentiæ rei. Principes enim dignitates omnes, etiam summas, in Dicasteriis, Cancellariis, aulis ac militia, conferre possunt & quotidie conferunt. Ita Cancellarios, eosque sæpe plures & distinctis gradibus faciunt: ea autem primaria

ria

ria in Imperio dignitas habetur, ut constat. Sic & summum militiæ Ducem, seu Capitaneum, aliosque præcipuos bello Officiales, vulgò *Generales*, constituunt: qui omnes ubique pro talibus habentur, iisque, qui tali dignitati convenit, honos apud alios quoq; exhibetur.

§. 7. Quin V. eâ lege initiô condita & quasi fundata fuit Principum Imperii potestas ac dignitas, ut ipsi in aulis suis eadem 4. præcipuæ dignitatis officia constituerent, quæ in aula Imperiali constituta, & primæ secundum Regem nobilitatis sunt: sc. primarium Camerarium, Marechallum, Truchsesium & Pincernam. Id constat ex vetusta illa Constitutione Caroli III. seu Crassi, §. *Singuli verò Principes*. Cujus illustris & sinceri antiquitatis monumenti, cum Commentario suo editi, auctoritatem luculenter demonstrat Marqv. Freher. in *Comment. ad d. Const. in princ.* Idem ostenditur ex *Spec. Sjev. lib. 1. cap. 63.* Die Fürsten Ampt synt von ersten gestift mit vier Fürsten Ampten / mit einem Kamerer / mit einem Schencken / mit einem Truchsesen / mit einem Marschalck &c. Unde eadem 4. Officia in Imperio: Die Reichs-Ampten / in aulis Principum der Fürsten Erbhoff-Ampten dicuntur: quæ penes Electores Principes, qui jam ante bellum tricennale fuerunt, quin & apud alios Principes cum feudis suis hodieq; supersunt. vid. Magnif. Dn. Præs. *Jus Publ. c. 11. §. 2. & 11.* Quod si igitur Principibus Imperii jam initio summam omnium, & quæ in Imperio primariæ Nobilitatis sunt, dignitates conferre fas fuit, quis infimæ Nobilitatis conferendæ jus eis denegaret?

§. 8. Nam & VI. notissimum est, quod Principes Imperii legatum cum caractere mittere possint: id
verò

verò nihil aliud est, quàm impositio summæ dignitatis, quæ ipsum Principem repræsentet. Unde hoc pro summo jure regali habetur, tales legatos cum caractere mittere posse. Illud ergò cui jus competit, is longè faciliùs insignia simplicis Nobilitatis tribuere poterit.

§. 9. Atq; ejus rei VII. irrefragabile argumentũ est; quòd Duces, Marchiones &c. ab antiquissimis temporibus potuerunt Valvasores Majores, seu Capitaneos creare: qui hoc ipso plenariam nobilitatem consecuti & plebejorum numero exempti sunt: ut ostensum est *Cap. 2. §. 23. & seqq.* & patet ex sæpe alleg. text. in 2. F. 10. ubi qui hos sequuntur, & Valvasores Minores dicebantur, demum Nobiles factos esse negatur, nisi feudum tale ab antiquo forte acceperint. Itaque certum est Valvasores Majores cum feudo accepisse Nobilitatem à Duce, Marchione &c. atq; adeò hos Nobilitatẽ concedere potuisse. Quod eadem ratione quoq; ostendit Guilim. de Reb. Helv lib. 2. cap. 11. Qui feudum, inquit, à Duce &c. accipiebant, eadem operã Nobilitatem consequiebantur, & inter Nobiles referebantur. *supr. cap. 2. §. 26.* Ergo semper & ab omni memoria Dux &c. feudum cum nobilitate concedere potuit: quod proinde multò magis potest, ex quo jura Principum tantopere aucta sunt.

§. 10. Idem VIII. ostenditur ex iis quæ *supr. Cap. 2. §. 31.* cum jure Feudali ex utroque Speculo Teutonico contulimus: unde patet, quartum ordinem esse *der Mittel-Freyen / Banner-Herrn oder Schoppenbahr Freyen /* qui iidem sunt ac jure Feudali Valvasores Majores, seu Capitanei. *supr. cap. 2. §. 31.* Atqui hi feuda sua cum Nobilitate accipiunt à Principibus Imperii, *Spec. Svey. lib. 1. cap. 47. ibi; Das andere sind Mittel-Freyen /*

Freyen/die der Hohen Freyen Rañ sint. Igitur à Principibus ab antiquissimo usque tempore aliis concessa fuit nobilitas.

§. II. Quin IX. aliquando Valvasores minores non plebeji sed Nobiles habiti sunt: non equidem vi feudi vel ministerii, cum ejus concessione non definant esse plebeji ordinis; 2. F. 10. nec ex concessione domini, Valvasoris majoris, qui, utpote mediatas, non potuit Nobilitatem concedere. Ergo ex concessione domini superioris, sc. Principis, ejusq; voluntate saltem tacitâ, si diu passus fuerit tale feudum apud eum esse, 2. F. 10. quod aliàs dominus auferre potuisset, per 1. F. 1. §. fin. 2. F. 34. §. 2. Multò magis ergo expressa voluntate eam concedere potuit.

§. 12. Nec dixeris, hoc jus atque hanc distinctionem Ordinum feudalium ab usu nostrorum temporū jam recessisse. Nam quicquid sit de ordine, id inde saltem perspicuum est, ab omni antiquitate Principes Imperii nobiles Vasallos facere potuisse & fecisse; sc. nobiles Valvasores majores, & quandoque etiam minores. *supr. §. 11.*

§. 13. Sed nec ordines illi hodie adeò ab usu Germaniæ remoti sunt, etsi nomina quorundam desuetudine obsoleverint: nam adhuc supersunt post Regem duo illi præcipui Nobilitatis primariæ Ordines, Principum & liberorum Dominorum. Vid. Magnif. Dn. Præf. *Fus Publ. cap. 15. §. 5. & seqq.* Hi liberi, *die Freyen/* uti antiquo modo dicebantur, erant olim duorum generum, alii, qui immediatè à Rege feudum agnoscebant, uti Comites & Barones, qui (eo modo quo *sup. cap. 2. §. 31.* numeravimus) tertii ordinis seu clypei fuere, *Freyherrn* dicti: *d. §. 31.* alii vero, qui à Principibus

bus feuda quæsiuere, die Mittel-Freyen / seu Valvasores Majores, qui quarto ordine fuerunt. *d. cap. 2. §. 31.* Hæc quidem classis, der Mittel Freyen / hodie amplius, saltem quoad nomen, nō apparet, uti nec hoc genus feudorum: sed id nihil ad rem; sufficit enim hos tum verè nobiles fuisse, & Principes Imperii tales fecisse.

§. 14. Fuisse verò eos, qui dicti sunt die Mittel-Freyen / verè Nobiles, patet præterea tum ex nomine, tum ex officio. Hoc enim nomen, Freye / commune olim fuit omnium officiorum, quibus Nobilitas annexa fuit, seu quæ consistebant in tuenda Reipub. parte vel iustitia: nam & Principes ipsi dicti sunt die Hohe Freyen / *Specul. Sjev. Lib. 1. cap. 47.* & hodieque Barones specialiter Freye / *Reform. Pol. Sigismund. cap. 9.* ibi: Grassen / Freyen / Rittern &c. uti Baronis uxor, Freyin / vocatur. Neque verò Freye & Dienstleute hîc dicuntur, ut in *prin. Inst. de Jur. person.* liberi & servi: ibi enim de libertate privatâ agitur, quâ quis potestatem privatam seu dominium habet in suos servos & res privatas: hîc de publicâ, quâ quis potestatem publicam, seu Imperium aut Jurisdictionem habet in subjectos vel partes reipubl. Libertas enim est legitima facultas statuendi; privata de rebus privatis; publica de publicis. Unde reverà idem sunt, Frey seyn / und Herr seyn; quia liber dicitur, qui ipse est suorum dominus; non liber, qui alterius dominio subjectus. §. 2. *Inst. eod.* Eadem igitur dignitas ac nobilitas est eorum qui veniunt nomine der Freyen / & eorum qui veniunt nomine der Herrn: ordinem autem der Herrn plebejum esse nemo dixerit.

§. 15. Nomini quoque officii ratio planè respondet: sunt enim die Mittel Freyen / illi Valvasores Majores,

jores, quarti ordinis, qui plebi vel plebis parti, id est, civitatibus aut earum parti à Rege vel Principe præpositi sunt; *cap. 2. §. 23.* quod genus officii est, cui & naturâ suâ & legibus Germaniæ Nobilitatem conjunctam esse, *cap. 1. §. 2.* demonstravimus. Et, cum inter eos sint qui dicuntur Banniti, *Spec. Sax. lib. 3. art. 3.* vel, ut hodie, Bannerii, *Banner Herrn* eos inter nobiles semper recensitos fuisse constat. Sunt igitur illi, qui banno, id est, judicio civitatis à Rege vel Principe (nam de iis quos ipsa civitas legit, vid. *cap. 2. §. 28.*) præfecti erant, & hinc etiam *Schoppenbahr* dicebantur. *d. art. 3.*

§. 16. Adeo autem Valvasores Majores, *die Mittel Freyen* Nobiles sunt, ut ad summas quoque Imperii dignitates adhiberi potuerint. *Spec. Sjev. lib. 1. art. 63.* ibi: *diese Leute sollen seyn die Höchsten Freyen oder Mittel Freyen.* Et Valvasores Majores verisime Nobiles, atque hanc communem *DD.* sententiam esse, docet *Ant. Goth. Diss. feud. 1. th. 6. lit. b.* Principes ergo, qui hos faciunt, nobiles facere possunt.

§. 17. Dices: Principes, ipsumque Imperatorem, & hodie plurimis feudum immediatè dare, & olim dedigisse, neque tamen omnes illi nobiles fieri, aut olim factos fuisse. Respond. Id verissimum esse; non enim illud Vasallos nobiles facit, quod feudum à Rege vel Principe accipiunt, sed quod feudum, cui dignitas seu nobilitas cohæret. Atque ex hoc ipso apparet evidenter, id, quod nobilitat, non esse feudum, sed officium illud quod cum dignitate suâ feudo annexum est. Quod & post *Baldum* & *DD.* comm. ita decidit *Guid. Pap. Decis. Gratian. 386.*

§. 18. Unde in explicandâ vexatissimâ illâ quæstione, An feudi nobilis collatio nobilitet? frustra su-

dant, Dd. ambigua voce impediti. Intelligunt enim per feuda nobilia tantum *blosse Ritter-Lehen*/ quorum possessoribus non vi talis officii, quale sæpe memoravimus, feudo annexi, sed speciali Principis indultu nobilitas tributa est; quod proinde privilegium certis personis, scil. primo acquirenti ejusque liberis concessum, ad alios possessores, qui ipsi proprio jure nobiles non sunt, extendi non potest. Accedit, quod, cum hujusmodi prædio non sit conjunctum officium, quod in administranda reip. parte vel justitiâ consistit, non potest illud vi sua nobilitatem tribuere, quæ non ex prædio, sed ex officii ei cohærentis dignitate oritur. Quo demto nihil superest, quod non plebejis commune esse possit; uti immunitates prædii, exercitium aliquod jurisdictionis in vicaneos, jura venandi &c. quæ parti plebis sæpe quoque competunt. Atque adeo, cum animus nobilitatis concedendæ non appareat ex ipsius prædii qualitate, cujus jura non sunt nobilium propria, sed & plebejis communia esse possunt, non competet inde nobilitas, nisi specialiter indulta, eoque animus ejus conferendæ expressus fuerit. Denique talia prædia, *Ritter-Lehen*/ etiam ab iis conceduntur, quorum jus nobilitandi non est; quod fecus est in feudis, quibus nobilitas ratione officii connexa est: illa enim non possunt nisi à Principe concedi; cum hujusmodi magistratus constituendi potestas Regale jus Principum sit. Igitur feudum nobile hoc sensu non nobilitat; sed tum demum, cum tale est, ut non nisi à Rege vel Principe investiatur quis de plebe vel plebis parte; huic enim officium tuendæ plebis ac justitiæ conjunctum est.

§. 19. Hinc patet quoque sententia *Juris Feud.*

Sax.

*Sax. art. 21. ibi: Es erhöhet nichts des Manns Schild
den Fahnen-Lehen.* Unde quidam colligunt, speciali-
ter Jure Sax. statutum esse, ut nullum feudum, nisi
regale, nobilitet. Ant. Goth. *d. Disp. feud. 1. th. 6. lit. 6. in
fin.* Quod non probamus. Nam ibi (1.) nec de acqui-
rendâ sed augendâ nobilitate agitur, verbo: **erhöhet.**
Nec (2.) de nobilitatis insignibus speciali privilegio
concessis; sed quæ ipsis officii rationibus innexa est,
adeoq; nec opus habet speciali concessione. His posi-
tis, quæ ex ipso contextu apparent, verissimum est,
non posse augeri alicujus nobilitatem, nisi concessio
feudo regali: cum enim quartus ordo (ut nos nume-
ravimus *cap. 2. sup.*) scil. **der Mittel-Freyen**/seu Valvaso-
rum majorum, ultimus sit inter officia, quæ in rep.
justitiâque ejus regendâ versantur, & quibus naturâ
suâ conjuncta est nobilitas; qui autem proximè præ-
cedit ordo jam sit feudorum regalium, scil. Comitum
& Baronum; sequitur, non posse hujus valvasoris nobi-
litem augeri concessio alio feudo, nisi illud regale sit.

§. 20. Neque obstat, quod quibusdam speciali
privilegio ab Imperatore jus nobilitandi datum fue-
rit. Nam & Principibus Electoribus privilegia plu-
rima in Aur. Bull. data sunt, quæ tamen aliis Princi-
pibus Imperii communia sunt. Dantur itaq; illa vel
majoris cautelæ aut splendoris ergo; vel quia rarior
adhuc eorum usus fuit; vel quia privilegio illo plus
continetur, scil. jus creandi non modò Nobiles, sed &
Comites & Barones. Deniq; non potest impetratio talis
privilegii aliis obesse.

§. 21. Hinc verò accidit, ut hodie plus juris sæ-
pe & in nonnullis habeant illi, qui ex privilegio, quàm
qui vi muneris nobilitatem consequuntur: tum quia
illo-

illorum hereditaria est nobilitas; tum propter jus 4. avorum, quod in ludis equestribus requiritur, in beneficiis autem ecclesiasticis Jure Can. attendi prohibetur *c. pen. X. de Præb.* uti & hodie tum improbatur, si fundationi non adversetur. *Instr. Pac. Osnabr. art. 5. §. 17.*

§. 22. Porro autem X. probatur, jus conferendæ Nobilitatis Principibus competere, ex consuetudine, quâ illi solent feuda aliis dare cum omni dignitate, Nobilitate &c. Ita testatur Knich. *de subl. terr. jur. c. 1. n. 207.* *Apud nos ut plurimum fieri ut Principes concedant Comitatus &c.* (intelligit sine dubio bona ac prædia, quæ Principes Comitibus Landsasfis suis concedunt,) *Lehen und Ritter-Güter/mit allen ihren Ehren/Würden/Freyheiten/Ein- und Zugehörigen.* Quæ autem sunt aliæ dignitates, Ehren und Würden/nisi nobilitas saltem; cum feudis plebejis non cohæreat dignitas?

§. 23. Hoc XI. testatur quoq; Vultej. *de Feud. lib. 1. cap. 8. n. 10. vers. Ignobile.* ubi ait: *Habent in Imperio Romano potestatem nobilitandi Principes omnes.* Idemq; sentiunt Ant. Goth. *d. Disp. Feud. 1. thes. 6. lit. b.* ubi alios allegat: Nolden. *de Nobilit. cap. 2. num. 177.* Knichen *de Subl. jur. terr. cap. 1. num. 209.* Rosenthal. *de Feud. Hermes. Fascic. Jur. Publ. cap. 32. num. 26.* ubi ait: *Hanc arduam questionem vocat Bullæus, Hor. subsec. Disc. 4. de Jur. Nob. Affirmativam* (competere sc. Principibus Imperii jus nobilitandi) *tuentur omnes ii, qui docent, quod quivis Princeps tantum potestatis habeat in suo Principatu, quantum Imper. in Imperio: nec ii sunt dupondii sed eminentissimi & Celeberrimi Jcti, quorum nomina si quis enumerare vellet, non multò breviorum texeret Catalogum, quam est Homericus Græcarum navium: nec sine rationibus &c.*

§. 24. Cur igitur Principes Imperii, si eas, quæ
in

in Imperio, Aula ac militia summæ sunt, dignitates conferre possunt, Comites, Barones &c. facere non possunt? Resp. Quia his nominibus significatur Officium Imperii, quod nemo nisi Imperator injungere, nec alius quàm Imp. de Officiis Imperii statuere potest. Deficit igitur hæc potentia creandi Comites, Barones &c. non quia similem Dignitatem Principes illi in suis quoque territoriis constituere nequeant; sed quia quæ his nominibus insigniantur, non sunt Principatûs sed Imperii Dignitates, adeoque excedunt fines territorii ac potestatis Principum. Uti ergo Princeps Cancellarium, Camerarium, Mareschallum, Truchsesium &c. facere potest, sed qui Principatus sui, non Imperii fit Cancellarius &c. sic idem Judices cum plena Jurisdictione, & castrorum Præfectos facere potest, sed hi non erunt Comites vel Barones, quibus nominibus dicti fuere, qui Imperii judicia exercebant, *Reichs-Grassen/Reichs-Freyherrn*: illi tamen id sunt in Principis territorio, quod hi in Imperio.

§. 25. Nec eò minùs Principes plenissimam habent potestatem omnium harum dignitatum conferendi, etsi intra fines territorii conclusam: Nam & Reges absoluti, qui cum liberrima potestate in Regnis suis sunt, non possunt nisi intra fines Regni dignitates concedere. Et, qui à Rege fit, non Imperii, sed regni sui est Cancellarius, Marechallus, & ita de reliqua Nobilitate. Nam nec Imperator alium quàm Imperii Cancellarium aut Officiale facere potest, non extra illud.

§. 26. At verò ubique hunc ordinem suum obtinebunt; ille ut Regius, hic ut Imperii, alius ut Principis Cancellarius: atque adeò omnes à Principe in
terri-

territorio suo constitutæ dignitates non modò intra Principatùs fines, sed ubique valebunt; scil. non ut Imperii, sed ut Principis Officia; quemadmodum quotidie apparet, iis ubique, etiam apud exteros, hujus Dignitatis suæ rationem constare; cum legitime ab eo, qui jus tale in suo territorio habet, constituti sint. Quemadmodum testamenta, aliique actus solennes, si ex forma statutorum loci, ubi fiunt, conficiuntur, ubique etiam extra territorium valent. Magnif. Dn. Præf. *Disp. de Fundat. in territ. pot. tit. 7.*

§. 27. Eadem itaque differentia est inter Nobiles, qui ab Imperatore, & qui à Principe creantur: hi enim appellari non possunt, *des Heiligen Römischen Reichs Ritters*; nam nec illi ita dici poterunt, qui ab alio Rege, v. gr. Gallia, Hispania, creantur; quippe qui sunt Nobiles Galli, Hispani, non Imperii; & tamen his aliisque Regibus plenissimam nobilitandi potestatem competere nemo inficias ibit. Uti è contrario Nobiles ab ipso Imperatore facti, non erunt Nobiles Gallia vel Hispania. Ita & Nobiles, qui à Principe Imperii creantur, verè Nobiles sunt, etsi non sint Nobiles Imperii, neque membra Collegii *der Reichs Ritterschaft*.

§. 28. Si quis igitur roget; An ergò Nobiles à Principe facti jura Nobilium extra Principatum obtineant? Vicissim rogandus erit; an Nobiles à Regibus Gallia, Svecia &c. creati in Imperio jura Nobilium habeant? Quæ enim his permittuntur, nec illis denegari possunt. *Limnæus Lib. 4. cap. 1. in fin. ait: Iis negatis materiam injuriarum suggeri, & mutuam Regnorum reverentiam enervari.* Et mox: *Contrà si constituerimus, nec nostri Duces (nedum Nobiles) alibi pro ejusmodi habebuntur.*

§. 29.

§. 29. Quare ita censendum est; quòd, salvo imprimis ordine & prærogativa eorum, qui ab Imperatore fiunt, jura Nobilium omnibus communia sint; nisi specialiter quædam privilegia & beneficia singulari lege Nobilibus Imperii, Regni aut Principatus alicujus concessa sint: ad quæ proinde extranei adspirare non possunt: quemadmodum nec Imperii Nobiles ad privilegia extraneis solis competentia.

§. 30. An autem Dignitas vel Nobilitas ei, qui subditus non est, conferri possit, quæstionis est. Id vero omninò negandum; cum concessio dignitatum numeretur inter jura regalia & superioritatis, 2. F. 56. quæ non possunt exerceri nisi à Superiore in suos subditos: & cum Nobilitas suâ naturâ cohæreat officiis publicis, non potest ea nisi Superior injungere; qui respectus non est inter Principem & eos, qui ei subditi non sunt: cum extra territorium suum quisq; pro privato habeatur. 1. 3. ff. de Off. Præs. Atque ita Rex Gallia & Regina Angliæ improbârunt Nobilitatem subditis suis ab alio collatam. Magnif. Dn. Præs. d. Disput. de Fundat. in territ. pot. tit. 5.

§. 31. Qua ratione nec Doctorales honores extraneis conferri poterunt. Unde factum est, ut Imperatoris vel Pontificis confirmatio in erigendis Academicis necessaria semper visa fuerit; cum alioquin non possent honores hos omnibus in Imperio, sed tantum subditis territorii conferre. Quod secus est in ordinibus Equestribus, qui nihil nisi societates Illustrium sunt; in quas alios recipere arbitrarium est. d. Disput. tit. 5. §. fin.

§. 32. Ex iis verò quæ hætenus exposita sunt, videtur hoc jus nobilitandi etiam Comitibus & Baronibus

commune fieri. Atque ita nonnulli, non satis expenso textu in *2. F. 10.* scripserunt, Capitaneos seu Valvasores majores, quos hoc ipso Nobiles factos fuisse supra ostendimus, etiam à Comite constitui: Guillim. *d. lib. 2. cap. 11.* Sigon. *de Regn. Ital lib. 7. sub ann. 973.* Verùm decepit eos, quòd in *d. tit. 10.* Ducis, Comitum, Marchionis promiscua fit mentio, quasi eodem ordine essent; &, quod deinde in genere additur, à Principe vel aliqua potestate constitui Valvasores Majores, referunt ad omnes præcedentes.

§. 33. In eo verò lapsi omnino videntur: nam in toto Imperio Principum ordinem à Rege alterum esse, & tum sequi Comitum &c. *sup. cap. 2.* demonstratum est & constat. Et notabiliter mutatur loquendi ratio in *d. tit. 10.* §. *Qui vero à Principe.* ubi non dicitur; *Qui à Duce, Comite, Marchione investitus est,* quorum antè facta erat mentio; sed ita: *Qui à Principe (i. e. Rege) vel ab aliqua potestate investitus est;* quibus verbis ponitur potestas legitima talis dignitatis jure feudi constituendæ. Comites autem, Barones &c. nec propriam potestatem habuere, ut Principes, nec olim jure proprio regalia; sed fuere merum nomen officii illustris: Unde in *Ref. Pol. Sigismund. de ann. 1436. cap. 9.* Principibus tribuuntur *fast Kaysersl. Rechten;* Comitibus, Baronibus &c. *Zwing und Bann;* quod nihil aliud est, quam Jurisdictio cum Imperio: quibus usu accedere sensim regalia. *Magnif. Dn. Præs. J. Publ. c. 15. §. 4. & seqq.* Inde verò non sequitur, hoc officio Comitivæ contineri jus nobilitandi, aut alia quàm quæ usu obtinere atque exercent regalia. Igitur officia Comitatus sui constituere possunt, tum quia id consequens potestatis concessæ, tum quia usu firmatum est. Denique

nique, cùm ipsi sint in ordine nobilium, etsi primarii; *Spec. Sax. lib. 1. art. 3.* necessario superioris ordinis esse debet, qui nobiles constituit.

§. 34. Adversari plurimum videtur, quòd *Jur. Sax. art. 3.* die Mittel-Freyen dicuntur der Freyen Herren Mann: adeoq; & hi nobiles facere poterunt, si illi sint nobiles. Verùm, nomine der Freyen Herrn generaliter accepto contineri quoque Principes, & horum, non Comitum Vasallos intelligi die Mittel-Freyen/ exprimitur in *Spec. Sjev. lib. 1. cap. 47.* in verbis: das sind die fryen Herrn/ als Fürsten und die andere Fryen zu Mann haben. Et tum sequitur: Mittel-Fryen sind die/ die der hohen Fryen Mann sint. Quod & convenit maxime textui in *2. F. 10.* de quo *supr.*

§. 35. Plura equidem superessent tractanda de materiâ adeò amplâ atque prolixâ; sed nobis jam id nec licet nec libet. Propositum saltem nobis fuit ostēdere, quòd nobilitas originariè ac naturâ suâ Officiis Reip. insit atq; cohæreat; eamq; adeò iis quibus injuncta sunt ejusmodi officia, absq; alia collatione competere; aliis tamen etiam ex speciali privilegio jura ejus & beneficia tribui posse; atque adeò nobilitatem duplici viâ concedi; vel speciali indultu Principis, vel vi officii publici: atque id jus utrumque etiam

Principum Imperii
esse.

SOLI DEO GLORIA.


G 2

COROL

Q477 1974


COROLLARIA.

- 1. **L**iberis Rebuspubl. aqve ac aliis summis Principibus, jus competit quascunq; dignitates concedendi.
- 2. Jura Speculi Saxonici & Suedici in paucis inter se discrepant; uti, quoad successionem &c.
- 3. Jus Alemannicum, tam provinciale quam feudale, eundem auctorem habet, atq; ex veteri autore de beneficiis maximam partem est desumptum.
- 4. Quo tempore Jus Civile in Germaniam primùm fuerit introductum, admodum incertum est; ast Lotharii II. auctoritate id factum esse vix probabile videtur.
- 5. Nimia legum multitudo Reipubl. plus nocet quam prodest.
- 6. Leges Statui Reipubl. accommodatæ esse debent, ideoqve non facile aliunde petendæ.



ML
107






Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)